

PRÆNOTIONES
 CONTRA
 SYNCRETISTAS
 CVSTODIENDÆ.

PRÆNOTIO I.

Syncretistarum quo magis odiosum nomen habetur, eo frequentior proh dolor! res ipsa est, hoc præsertim a veritatis amore tam alieno & in omne corruptelarum genus præcipiti seculo. Et sunt ex præposteris pacis Ecclesiasticæ conciliatoribus, quos & Henoticos appellare solent, qui in turpissimo Indifferentismo hæreant; reliqui saltem Antidogmaticos agunt, & a cura veritatis, quantum fieri posse sibi persuadent, haud difficulter remittunt. Vicissim, quidam eorum ad Naturalistas, quidam ad Fanaticos referri debent, omnes vero in eo consentiunt, pacis gratia a veritatis studio aliquantum esse decerpendum, siue omnes, quæ Christiano nomine utuntur, partes, & vel ipsos Socinianos, ut Zviccerus & Gvionerius, siue nos Pontificiosque & Calvinianos, ut Calixti & J. Fabricius, siue nos solummodo & Calvinianos in unam conjicere massam velint.

H. His